

(X 204 4280)

Y 2
3703



HVMANISSIMO,
ATQVE DOCTIS-
SIMO Juveni-Viro,

Dn. GEORGIO
LUDOVICO SIBEN-
HERTZIO, Marcobret-
tensi Fr. VVitebergâ abi-
turienti, 3703

Ye
*Gratulantur Amici & Po-
pulares.* GK



1914 J 291
VVITEBERGÆ,

Typis VVolfgangi Meisneri.

Anno M. DC. IIX.

1914. 2468



Anno Felio die







AD LUDOVICUM SIE-
BENHERTZ.



LUDOVICE SEPTICORDIS,
Animique Corporisque
Filo professe Francum:
Ad tres, opinor, annos
In hocce Leucoréo
Mecum inter inquilinos
Commilitesque Phœbi
Commiles exististi.

NUNC patriam remigras:

Felicitet quod ille

Felicitatis auctor.

Nos interim vianti

Commilites favemus:

Tentorioque nostro

Cubitalibus lituris

Hoc Carmen imprimemus:

LUDOVICUS ille Francus,

Dum noster hîc ad Albim,

Fuit inter universos

CORDATUS inquilinos

Verèque SEPTICORDIS.

Frid. Taubmanus.

A 2

Quo

A L I U D.

Quò ruis? ac propero cursu quò tendis Amice?
 Est animus patrios rursus adire lares. (dor?
 At quid causæ adigit? quæ lex, quæ cura; vel ar-
 Te, credo, in patriam Nymphula blanda trahit.
 Itua quò virtus, i quò te fata vocabunt,
 Constet amicitie fœdus utringq;: Vale.

Φιλίας ἐνεκα deproperatum

à

M. Johanne Georgio Scipione Hammelburgensi Fr:

A L I U D.

TRistia tristis hyems jam frigora spirat in auras,
 Ac torpet rigido terra perusta gelu;
 Tristior ipse Pater fluviorum maximus Albis
 Undosum astricto condidit amne caput,
 Quaq; prius rapidos sulcavit Navita fluctus,
 Nunct erit intrepida mente viator iter,
 Nullus amor Sylvis, mæret gens cuncta volantum,
 Nec quæ suppeditet gaudia campus habet.
 Tu Ludovice tamen animi pars optima nostri,
 Hinc procul Albiacis fimbis ire paras,
 Et natale solum dulcesq; revisere terras,
 Mænus ubi vitreo flumine regna tenet:
 Nec te Musarum retrahunt suavisima tempe,
 Te nec amicorum Corcula blanda movent.
 Ecquæ

Frid. Tausmanns.

Ecquæ causa viæ? quis tam citus autor eundi?
Quis nam suadet iter per mala tanta tibi?
Anne soli patrii te lactat tanta cupido,
Quod quenquã immemorem non finit esse sui?
Non: sed causa subest pollentior, ecce parentum
Nex inopina tuæ tam fera causa fugæ.
Inde tuis rebus mavis succurrere lapsis,
Spirantes hyemis quam trepidare minas.
Næ meritò rerum te tangit cura tuarum,
Nam jubet hoc virtus, hoc jubet & pietas.
Urge igitur ceptum terræ securus & auræ,
Innixus dextrâ cunctipotente Dei,
Hac Duce pertingas ad Mæni flumen amænum,
Hac comite ad patrios faustiter ito lares.
Illic quæ multâ tibi sedulitate parasti
Utitor Ingenii perfruatorq; bonis:
Sic facie præstans & pulcris dotibus aucta
Intret ibi in thalamos Franca puella tuos,
Quæ luctus lacrimasq; tuas ob fata parentum
Polleat in dulces vertere delicias.
Sic Sibenherziadum generi nova germina surgant
Quæ vernent longos Franca per arva dies.

*M. Laurentius Marquardus Leutershusio-Francus
amoris ergò faciebat VVitteb. Anno Christi
Ne nos In DVCas In tentatione M.*

A L I U D.

*C*onsilia in sese quid habent mortalia, quod sit
 Stabile, aut perenne? quin Vices
 Expaveant, quoties celi convexa tueri
 Datur, necesse est extimas.
 Nam qui consilijs dispensat jura perinde
 Non unus, & qui consulit,
 Argumenta rei queris, L V D O V I C E? Daturus
 Sum plurima, hoc si, quod sat est,
 Iveris elusum, in temet quod pono. Tuarum
 Satagens modo rerum, amplius
 Nil sic gaudebas, quàm, quàm tentoria vera
 Sapientia, & cunabula
 Virtutum, integras aliquòt consumere messes,
 Solidamq; prædam hinc Musicam
 Convassare. At erant laxi hæc compendia Voti,
 Non Fati alacris regule.
 Nunc quàm versum animi fugit fiducia tanti,
 Aliusq; mentis spiritus?
 Scilicet hunc contra eduri molitio fati
 Statuta spondet celica,
 Lethali patrios infestans clade penates,
 Luclug; inevitabili.
 Anne parùm hoc fuerat, Genetricis funera nuper
 Deslere, nî recentior
 Lessus mox etiam Genitoris morte caleret?
 Plenasq; spirantem minas
 Prælustrem Sophiæ palmam potiundi inopino
 Te stringeret sufflamine,
 Quæ vocat ad patrias fortuna domestica curas?
 Verùm hoc doloris quicquid est

Decoque

Decoque mente animi solitâ, quâ cœlica Ferre
Non Judicare intelligis
Esse æquum decreta: tuisq; hoc præcipe fatis,
Contra D E V M haut assurgere.
Sic nova votorum spes damna hæc fortè levabit,
Iterumq; gaudijs dabit,
Quod precor, ex animem. Nunc, dum feliciter isthanc
Valeve L E V C O R I N jubes,
Ipse V A L E, Meritisq; tuis me digna volentem
Agnosce, res dum deficit.

M. Daniel Langius Culmbacensis Fr.

A L I U D.

V Ides rigentis quæ aëris indoles;
Atq; Arctici quæ sit facies poli:
Sævumq; præsentis furorem
Temporis ipse sat experiris.
Canis in horret tetra comis hyems:
Profunda celi limina, & horridi
Sordent soli tractûs: acuta
Frigora vi latius adurunt.
Sat impotenti fervidus Adriæ
Dux inquieti turbinis impetu
Depræliatur Auster, ornos
Et veteres agitans cupressos
Nivisq; lanam spargere pertinax
Nimbo protervo per patulas vias
Per montium vagos recessûs,
Prægelidiqu; per arva campi:
Ut omne

Ut omne tristi stet nive candidum,
Telluris æquor Mænalix:grave
Nec sustinere onus rigentes
Aut sylvæ aut frutices potessint.
At tu remotam nil minus orbitam,
Amice, tentas, qua superi vocat,
Te præpotens nutus dynastæ
Et reliqui generis propinqui.
Ito, faventem vidimus oscinem,
Voce ominosa carpere quem nefas.
Ito; solumq; prosperato
Tange gradu patrium, tuosq;
Revise salvos salvus amiculos
Ac fæderatos sanguine, qui luis
Fugere vim; sortisq; faustæ
Utere perpetuo favore.

Sigismundus Dietlenius Pripolitanus Er.

A L I U D.

AT te subdubitas etiam hinc mutare? Datumq;
In patriam Fatum te, LUDOVIC E, trahat?
En! Fortuna præit: sequere. Hoc appendo supremum:
Me bene, me atatem crede tibi cupere.

Bartol. Montag.

A L I U D.

PROsequitur votis cum phœbi cultor euntem
Exornatq; abiturum docta Camœna tuum.
His ego me comitem, sed dispare carmine jungo,
Et tibi felices comprecor esse vias.

Ne, quo

Ne, quo te comitor cedentem, despice votum;
Non levis in votis vis solet esse pijs.
Nam quæ stella Magis Eoo ex orbe profectis
Ostendit certos officiosa lares.
Hæc, inquam, te, fax & stella optata prophetis
Quiq; fuit, ducat, filius ipse DEI.
Cesset hyems, claudat luctantes Aeolus Austros,
Injiciat subitam ne qua procella moram.
I quo fata vocant & felix perfice cursum,
Jova sit & vitæ duxq; comesq; viæ.
Hæc mea vota, tui quæ contestantur amorem,
Vim rogo dent votis, fata secunda meis.

Vilhelmus VVieserus Marcobrettanus Fr: f.

A L I U D.

A Mniū in Oceanum qualis confluxus; in ævum hoc
Talis perpetuâ cum feritate mali.
Ventosq; licet fortuna applausus inertes
Nonnunquam blandis ludat imaginibus:
Mox tamen in tristes spes desinit ampla querellas,
Et subito ostensam nox premit atra diem.
Ecquid habes dicti quo vanum evincere, veri
Vel detractorem me, LUDOVICE, queas?
Non puto; morem hujus si tempestatis, & ipsum
Excutias sortis flebile schema tua.
Musarum nuper gaudebas miles in armis
Nobile virtutis nomen habere tua.
Dum foris ista geris; domi in expectata necis vis
Molitur longa tempora tristitia.

B

Fulcra

Fulcra domus gemina occumbunt, materq;, paterq;:
Cetera num moles non ruitura foret?
Sed vocat illa tuos humeros: tu cede vocanti:
In patriâq;, diu sede beatus age,
Deseritur tibi Leucoris; at non deserit illa,
Virtutis Donum cui dedit omne sua.
Obdura, donec maris hic deturgeat aestus:
Et pelagi placidas experiere vias.

M. Martinus Taurellus Culmb. Fr.

A L I U D.

Visæ Leucoreos cui sat, LUDVICE, Camænæ?
Albiacive satis flumina pota vadi?
Ut numerus juvenum soles augetur ad omnes!
Ut viget hîc studijs dedita turba frequens!
Et tibi discessus curæ est? rediisse penates
Jam nunc ad patrios num tibi tantus amor?
Te juvat, ut novi, doctas coluisse Camænas,
Quas cum laude fovet Leucoris alma, diu?
Tanta sed est fati vis: hæc meliora recusat
Speranti: gravis huic fama paranda dolor.
Sed licet invideat, Sophiæ præcidere laudem
Quæsitamq; paret: nil nocet iste dolus.
Impigra mens etenim vigili devota Thalix,
In ventos partum non sinet isse decus,
Jam sibi certa tenet Sophiæ fundamina privo
Gnava super studio cætera Musa struet.

Plenior

Plenior unde tuæ consurget adorea famæ:
Immoto stabit clarior inde gradu,
Ergo, delicia Charitum, LUDVVICE, secundo
Alite sume, parat quod tibi tempus, iter.
Diva Salus patriæ te salvum reddat, & aptâ
Res patrias serie constituisse juvet.

Georgius Leonhardus Renner, Nicrogamundanus
Palatinus.

A L I U D.

Quis fuit ille dies, quo littera utrumq; parentem
Communem retulit mortis inisse viam?
Nonne tuis fidus credas occurrere rebus?
Iratum vè in te bella movere Deum?
Ne, Ludovice, aciem prestingvant talia mentis,
Dicta, sed impietas sit, facito, ista procul.
Nam quodcunq; facit Pater hic, Bonitatis & autor
Sincera, queso quî queat esse malum?
Excute tristitiam quocirca è pectore, cum re
Nomen ut obtineas, excute tristitiam.
Atq; lubens illis partam concede quietem,
Quod facis, illorum suscipe jamq; vices.
Sat tandem studijs, Ludovice, atq; artibus esse
Crede datum ingenuis: i, pete nunc patriam.
Exple animumq; tuis, qui te post fata parentum
Respiciunt, sibi te perfugiumq; putant.

240- 3703 QK
*Ingreddiare viam auspicijs felicibus opto;
Perficias, nullo te remorante malo.*

Leonhartus Frisius VVassertruhendingo-Fr.

GEORGI-LUDOVICE,

Simplex vix unquam (jam olim male crimen ob
istud

Audit) ventura est si qua Ruina, venit.

Densa intrat numero non ceu quassura, sed omnem

Displosura simul (vult brevis esse) domum,

Hinc facunda tui luctus alimenta; penates

Quod Patrios Geminis esse suis ducibus

Fama refert orbos: nec tale, ut cætera passim,

Mentita est noto crimine Fama procax.

Hinc nos jucundo invitos divellit ab usu,

Quos animo scindi non linet ipse amor.

Sed sequere hunc tractum violentæ sortis; ab istâ

DEXTERA vult causas cudere forte suas.

Eucharis Grobe.


F I N I S.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



X2044280)

Y 2
3703

ISSIMO,
DOCTIS-
veni-Viro,

ORGIO
O SIBEN-

Marcobret-
tebergâ abi-
nti, 3703

Amici & Po-
res. GK

ERGÆ,
angi Meisneri.

DC. IIX.
2468



Anno Febrio die